

## PRAEFATIO.

atque partium studium. Sane si iuste erro-  
ris arguor, grata agnosco mente discendi sem-  
per cupidus, sin iniuste, vel ex inuidia, ut so-  
let interdum, taxent, cum his mihi nullum  
erit negotium, quippe qui eruditorum nomine  
semper omnibus bonis indigni videbantur.  
Et quid facilius est, quam aliorum labores  
carpere, quum nondum constet, an rectius, an  
melius simus facturi. Vsu videtur compro-  
batum, vituperando aliorum labores sibi glo-  
riolam parare, libere et studio omittendo,  
quid cuius scriptori boni insit, quasi officium  
censoris constitisset tantum in inferenda nota  
censoria, non aequae in laudandis iis, quae  
bene facta sunt. Et quoties demum vidimus,  
vituperari a Titio, quod Caius maximis ef-  
fert laudibus. Fallit itaque censura sae-  
pius falso superstructa iudico. Quapropter  
quibus haud placet labor meus, velim imo  
rogo